

§. 12. ARGENTUM, in agro nostro ha-  
 etenus reperire non potui: Salfeldiæ in vicinia  
 nostra copiosum eruitur, cujus fodinæ sunt:  
 Das Haus Sachsen/ Maria Elisabeth/ die Sil-  
 ber-Kammer &c. ex hac ultima multum argenti  
 erutum est, ex quo *Serenissimus Princeps* mo-  
 netam confici curavit, in cujus uno latere *Se-  
 renissimi Principis imago* cum hac inscriptione.  
 D. G. JOHANNES ERNESTUS VIII. DUX  
 SAXONIÆ I. C. M. A. ET W. in altero ve-  
 ro latere: MON. NOV. EX FODINIS SAL-  
 FELDIENSIBUS CAMERA ARGENTI DI-  
 CTIS 1692. De argento alibi plura.

§. 13. CUPRUM haud copiose in agro  
 nostro occurrit, tam ad Salam, quam in vi-  
 neis, agris & vallibus, quod in fragmentis  
 faltim reperitur. Multum cupri vero in pro-  
 funda terra agri nostri latere probabile est;  
 quia venæ parvæ aliquando in summo agro  
 nostro observantur, quas venas metallici  
*Streichende Gänge / welche zu Tage ausgehen/  
 oder am Tage sind /* appellant. Ante paucos an-  
 nos, non ita procul à pago *Zwecken /* rusticus  
 aratro cupri mineram ex agro eruit. In fodi-  
 nis Salfeldensibus multum cupri est, item in  
 fodinis Schwarzeburgicis, quarum plurimæ  
 circa pagum *Röniß* sunt. Sed omitto has fo-  
 dinas, ne nimis prolixior sim: nec recensebo  
 varietates minerarum, & cupri usum, ac in  
 medicina vires.